

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0170

0168

0174

0164

0179

ignis in ea ardet. Et multa talia de eo dicuntur mari, de quibus dicit Josephus, quod fabula maris mortui fidem habet.

Dicitur etiam mare in Scriptura mare salsissimum, Numeror. 34. et Josuae XII. Ideo autem in Scriptura in superlativo nominatur salsissimum, quia nullum mare mundi est eo salsius, nec aliqua aqua dulcis potest tantum saliri sale nostro, quod ad mensuram illius salsedinis et amaritudinis perveniat.

Dicitur etiam mare salis Gen. 14., quia sal ibi copiose habetur, et aqua hausta ex hoc mari et ad solem posita statim sal efficitur. Nonnumquam etiam mare salinarum, quia multae salinae ibi quondam erant, et possent esse hodie. Sunt etiam juxta hoc mare montes salis, et saxa contrita sal sunt. In opposita regione Moabitide vidimus montem album saxosum, cuius tota congeries sal est, et lapides ejus contriti sal optimum est, sicut et ejus arena. Et hoc sal, sic de terra sumtum, dicitur proprie sal terrae, cui coaequat Dominus suos discipulos, Matth. V. dicens: Vos estis sal terrae. Quod utique sal optimum est et magis pretiosum quam sal aquae, quod ex decoctione est, sicut est sal nostrum, et sal in salinis factum ad solis calorem, sicut saepe vidi etiam in littoribus maris nostri. Diversa enim genera salis in orbe reperiuntur. Nam in Sicilia est sal, quod aquae injectum induratur, et igni applicatum dissolvitur.

In Cyronia invenitur sub arena sal aromaticum valde pretiosum. In excrescentia vel decrescentia lunae plerumque in regionibus sunt montes salis durissimi, de quibus ferro sal raditur, et de saxis salis grandes muri et aedificia eriguntur, ut in Pannonia. Reperitur etiam sal nigrum, sal purpureum, sal gilinum sive croceum, item sal candidissimum.

Nominatur etiam mare aspalti, sicut ante subversionem dicebatur vallis aspalti sive bituminis, quia adhuc in ejus littore sunt putei bituminis, quod effossum vendit, quia est materia solidissima pro muris, et juxta puteos illos stant pyramides muratae altae. Ibi etiam (241 A) invenitur bitumen, quod de mari per ventos ejicitur ad littus, et cohaeret sibi mutuo fortissime, nec solvi potest, nisi sanguine menstruo, et appellatur gluten Judaicum, et assumitur in medicinis

0159

0219

0119

0269

0069

0669

Ende

Anfang

